

dimittere tenentur. » At in cap. Nobis fuit eodem excipitur casus : « nisi constaret illos qui promissum tale, nempe simoniacum fecerunt per fraudem in dispendium illius qui eligendus erat, id malitiose fecisse, » ut scilicet tali pacto ab assecutione beneficii inhabilis redderetur. Altera exceptio est, cum quis sciens ab alio Simoniam committi, adversum illam protestetur; si enim protestante prorsus inscio Simonia adhuc compleatur et beneficium simoniace conferatur, Beneficiarius non obstringetur ad beneficium hujusmodi abdicandum; « quoniam ex eo quod contra prohibitionem et voluntatem tuam aliquis, te prorsus ignorante, promisit pecuniam et exsolvit, nihil tibi debet ad poenam et ad culpam imputari, » ut loquitur cit. cap. SICUT TUIS de Simon. Aliqui Doctores tertium casum excipiunt, dum scilicet aliquis per triennium beneficium possedit bona fide, quod illa verba absque *simoniaco ingressu* videntur omnino postulare, ut Simonia ab ipso ingrediente, vel eo saltem sciente patrata sit.

Denique adversus Simoniam in ingressu Religionis et professione patratam lata est excommunicatio contra personas singulas dantes et accipientes, et suspensio ab officiis capitularibus in Monasterium si consenserit. Utraque poena ipso facto contrahitur ac Pontifici reservatur. Extravag. SANE de Simonia. Is autem qui scienter per Simoniam professus est, in aliud Monasterium arctius detрудi debet ad criminis poenam luendam, can. 25 de Simonia. Ne tamen simoniacum putas quidquid pro ingressu et admissione in Religionem aut recipitur, aut solvitur; nam ut tradit S. Thomas 22 quaest. 100 art. 3 : « Pro ingressu Monasterii non licet aliquid exigere vel accipere quasi pretium; licet tamen, si monasterium sit tenuerit, quod non sufficiat ad tot personas nutritandas, gratis quidem ingressum exhibere, sed accipere aliquid pro victu personae quae in Monasterio fuerit recipienda, si ad hoc non sufficient Monasterii opes. » Hac de re multa tradit Benedictus XIV de Synod. Dioeces. lib. 11 cap. 6.

CAPUT III.

DE POENIS ECCLESIASTICIS.

§ 239.

DE NATURA POENARUM ECCLESIASTICARUM, EARUMQUE DIVISIONE.

Poenae vel corpus afflidunt vel animam, et omnes eo spectant ut criminosi homines coercentur, et caeteri exemplo poenae a delictis se abstineant. Si quis delicti poenam ducat in corpore, quem nempe vinculis, verberibus, exilio aut morte multetur, hujusmodi poenae *corporales* dicuntur: si vero privetur participatione Sacrorum, videlicet Sacramentis Sacrificiis, Sacris officiis, et omni ecclesiastica potestate, quem haec ad affligendam animam pertineant, poenae *spirituales* appellantur.

Hic autem quaeritur, an Ecclesia utroque eo poenarum genere in santes animadvertere possit? Jam vero quem Ecclesia duplex forum habeat, internum nimirum seu poenitentiale, et externum, atque ideo supplicem etiam tum internam, tum externam potestatem teneat; forum enim sine congrua potestate nec esse potest, nec intelligi, plane consequitur eam non modo spiritualibus poenis, sed etiam corporalibus jure meritoque semper usam esse, criminum reos plectendo verberibus, flagellis, detrusione in monasterium aut in carcерem, exilio, mulcta pecuniaria, aliisque poenis ejusdem generis. Quae quidem potestas antiquissimorum Patrum atque Scriptorum, Pontificum quoque et Conciliorum auctoritate comprobatur. Hac de re jam dictum est in Jure publ. Ecclesiastico § 7 et 8 lib. 1. At vero quoties criminis enormitas et magnitudo ea est ut ecclesiasticae coercionis rationem et modum supereret, Ecclesia quae mitiores poenas usurpare solet, et

praesertim abhorret a sanguine, criminosum Clericum de gradu dimovet et civili potestati debitibus poenis afficiendum tradit, quae sententia est Concilii Trident. sess. 13 de Reform. « Cum vero, » ait, « tam gravia nonnunquam sint delicta ab ecclesiasticis commissa personis, ut ob eorum atrocitatem a Sacris Ordinibus deponenda et Curiae sint tradendae saeculari, etc. » De Clerico autem ob ejus flagitia solemniter degradato et Curiae Saeculari jam tradito Innocentius III cap. 27 de V. S. illud sapientissime addit: « pro quo tamen debet Ecclesia efficaciter intercedere, ut citra mortis periculum circa eum sententia moderetur. »

Praeterea ecclesiasticae poenae dividuntur in vindicativas et medicinales: primae sunt poenae *corporales*, quae in vindictam delictorum inferuntur; alterae sunt *spirituales*, quibus in criminosum animadvertisit privatione bonorum spiritualium, et medicinales dicuntur propterea quod ad certum tempus et praeferuntur non feruntur, sed indefinite id est donec delinquens resipiscat, ideoque quamdam rationem habent medicinalae quae adhibetur usque dum aegrotus convalescat. Quae quidem conditio usque dum reus resipiscat vel ad bonam frugem se recipiat, etiamsi in poenis medicinalibus expressis verbis non enuntietur, pro adjecta tamen semper habenda est. Poenae vero medicinales proprio nomine *Censurae* vocantur, de quibus praesertim dicendum nobis est.

§ 240.

DE CENSURIS.

Censura definiri potest « poena spiritualis et ecclesiastica, per quam homo baptizatus et graviter delinquens quorundam spiritualium bonorum usu privatur, donec a contumacia recedat. » Dicitur *spiritualis*, quia non corpus, sed animam

affligit privatque spiritualibus bonis; *ecclesiastica* vero, quia ab Ecclesia, potestatis vi quam a Christo Domino accepit, ob grave crimen infertur. Hisce vero poenis soli Christiani afficiuntur; qui enim salutaris baptismatis lavacro non est ablutus, extra Ecclesiam manet, ideoque ejus potestati non est obnoxius. « Quid enim mihi, » ait Apost. I ad Corinth. 5, « de iis qui foris sunt judicare? » Itaque Ethnici, Judaei, et quotquot baptizati non sunt, Censuris non innodantur. Quomodo enim communione Ecclesiastica interdicti possunt qui intra eamdem communionem nunquam extiterunt?

Ne vero Censurae facile contemnantur et affectu careant, Sacrorum Canonum decreto cautum est, ut qui censuras violat, statim irregularitatem incurrat. Deinde Trid. Synodus sess. 25 cap. 12 de Reform. jussit: « Censuras et interdicta ne dum a Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo, a Regularibus in eorum Ecclesiis publicari atque servari. » Denique ex eadem Tridentina Syn. sess. 25 cap. 3 de Reform. : « Si quis obdurate animo, censuris annexus, in illis per annum insorduerit, etiam contra eum tanquam de haeresi suspectum procedi possit. »

§ 241.

DE CENSURARUM DIVISIONE.

« Quaerenti quid per Censuram Ecclesiasticam debeat intelligi, cum hujusmodi clausulam in nostris litteris apponimus: respondemus quod per eam non solum interdicti, sed suspensionis et excommunicationis sententia valet intelligi. » Ita Innocentius III in cap. *QUAERENTI* de V. S. Tres itaque sunt Censurarum species seu divisiones, Excommunicatio, Suspensio, et Interdictum, quae in eo inter se differunt, quod homo per excommunicationem communione ecclesiastica in

totum privetur et tanquam Ethnicus et publicanus rejiciatur; per Suspensionem Clericus vel Monachus Sacro ministerio exuatur; per Interdictum quaedam loca vel personae communibus precibus, participatione Sacramentorum, ac divinis officiis interdicantur. De quibus omnibus infra singillatim dicendum erit.

At vero in errore versantur qui depositionem, degradacionem, et irregularitatem inter Censuras referendas esse arbitrantur. Depositio enim et degradatio non medicinales poenae sunt quae reo ad meliorem frugem se recipienti statim cesserent, sed poenae vindicativae; irregularitas vero non censura, sed impedimentum ad Ordines.

Praeterea Censurae generatim dividuntur inter *Censuras a jure*, et *Censuras ab homine* latae, quarum primae sunt quae a Legislatore per legem aut edictum perpetuum irrogantur in eos omnes qui legem illam aut edictum violaverint. Censurae vero ab homine sunt, quae a Judice per sententiam judiciale, aut per mandatum seu praeceptum personae certae irrogantur. Censurae a jure et censurae ab homine latae in eo potissimum discrepant, quod censura, quae ab homine fertur, semper reservata censemur, atque ideo ab ejus tantum Auctore, aut Superiore, aut delegato absolvi et relaxari potest; contra vero censura a jure lata nunquam reservata habenda est, et propterea a quocumque in foro interno et externo jurisdictionem habente rite absolvitur et relaxatur, nisi conditor Canonis sive legis aperte sibi reservaverit.

Rursus Censurarum partitio est in eas quae *ferendae sententiae* et in eas quae *latae sententiae* dicuntur. Censura latae sententiae ea est, quae sola admissione criminis absque ulla Judicis sententia ipso facto contrahitur, et proinde « executionem secum trahit, » cap. PASTORALI de Appellat. Censura ferendae sententiae est, quae ipso facto videlicet admissione delicti statim non incurritur, sed per sententiam Judicis irrogatur. Utriusque discriminem ex verbis quibus lex concepta est

facili negotio intelligitur. Censura enim latae sententiae significatur per haec vel similia verba: *Excommunicatus sit ipso jure vel facto. Excommunicationem statim incurrat. Sub poena excommunicationis illico, confessim incurrenda, etc.* Censura vero ferendae sententiae hisce vel aliis similibus verborum formulis ostenditur: *Excommunicabitur. Praecipimus sub poena excommunicationis, sub interminatione anathematis, etc.* Cum vero ex Regula Juris 49 in 6 « in poenis benignior est interpretatio facienda, » illud consequitur quod in dubio Censura non latae, sed ferendae sententiae judicanda est.

Censuris ferendae sententiae trinae admonitiones praemittendae sunt ex decreto Concilii Lugdunensis, quod habitum est a Gregorio X Pontifice, et refertur in cap. CONSTITUTIONEM de Sent. excomm. in 6, ubi haec leguntur: « Statuimus ut inter monitiones quas (ut canonice promulgetur excommunicationis sententia) statuunt jura praemitti, Judices, sive monitionibus tribus utantur sive una pro omnibus, observent reliquorum dierum competencia intervalla, nisi facti necessitas aliter ea suaserit moderanda. » Qui profecto Canon licet de sola excommunicatione mentionem faciat, et alias Censuras, suspensionem nempe et Interdictum non commemoret, dubitandum tamen non est quin ex concordi Doctorum sententia Censuris omnibus communis habendus sit. Igitur canonica monitio trina sit oportet, ideoque tribus distinctis vicibus facienda. Si vero una pro tribus adhibeatur, aliquot dierum intervalla observanda sunt antequam sententia feratur. Tridentina autem Synodus sess. 25 cap. 3 de Reform, binas saltem monitiones praemittendas decrevit.

In ferenda vero Censura latae sententiae nulla monitio praemittitur, quandoquidem lex ipsa sive Canon continuo admonet, et satis est contumax qui eidem Canoni sive legi praecipienti et admonenti obtemperare recusat. Verumtamen quidam Canonistae videntur Censuras latae sententiae mi-

nime probare, quandoquidem sine monitionibus, sine testibus, sine ulla defensione poenam irrogant, quod certe ob aequitate alienum esset. At vero qui haec opponunt, ii quidem disciplinam Ecclesiae bene cognitam exploratamque non habent. Nam cum ex Regula Juris nemo puniendus sit nisi probetur reus, nulla in foro externo poena irrogatur, nisi postquam sententia declaratoria criminis prolata fuerit. Gerson in Tract. de Vita spirit. anim. lec. 4 coroll. 14 praclare observat excommunicationem latae sententiae, id efficere « ut absque processu alio judiciali aut nova constitutione possit Judex statim probato facto vel confessato ferre juris sententiam et eamdem publicare, non sic ubi Canones essent solum ferenda sententiae, quoniam monitiones et processus secundum terminos juris perquirerentur multiplices. » Igitur in foro ecclesiastico externo requiritur officium Judicis, requiruntur probationes facti, vel rei confessio antequam poena censurae latae sententiae adnexa irrogetur. Civilis etiam Societas leges condit quibus sine monitione, sine testibus eos damnat vinculis, verberibus, exilio, morte qui graviora aliqua crimina perpetraverint. Ubi vero aliquis condemnandus est, processus quidem a Judice instruitur, et secundum juris formulas ac leges conficitur, probationes, defensiones, et denique sententia postulantur, et postea reus debita poena plectitur. Quid autem inter Ecclesiae et Societatis sententiam differt, si ea considere mus quae ad Judicii substantiam pertinent?

§ 242.

DE POTESTATE FERENDI CENSURAS.

Potestas ferendi Censuras Antistitibus Ecclesiae a Christo Domino tradita est, dum eis dixit : « Quaecumque ligaveritis super terram erunt ligata et in coelis, et quaecumque solveritis super terram erunt soluta et in coelis. » His nempe ver-

bis ex concordi SS. Patrum sententia et Conciliorum auctoritate non modo potestas ferendi leges, sed etiam corrigendi atque puniendi totamque Ecclesiam administrandi continetur. Haec autem potestas Petro et Apostolis concessa in eorum Successores transit, adeoque ad Romanum Pontificem atque ad Episcopos jure divino pertinet. In primisque Romanus Pontifex in omnes Catholicos censuris animadvertere potest, Episcopi autem in eos tantum qui sibi subditi sunt. Jure vero Ecclesiastico ferendarum Censurarum potestatem habent Praelati vere *nullius* cum territorio separato, Moderatores Ordinum Religiosorum, et generatim omnes qui in externo foro ecclesiasticam jurisdictionem exercent. Quoniam vero necesse est poenam cum peccatis metiri, quum ratio et aequitas id postulent, hinc sequitur Censuras, quae omnium gravissimae poenae sunt, in reos graviorum et enormium criminum, et contumaces irrogandas esse : et si ob culpam levem inferantur, irritae et nullae sunt, nisi forte culpa levis ob circumstantias, ex. gr. ratione scandali aut periculi quod imminent, viam parare ad graviora peccata facili negotio possit. Benedictus XIV, de Syn. Dioeces. lib. 10 cap. 4 num. 3, docet non solum excommunicationem, sed etiam « suspensionem a divinis, seu ab officio et beneficio, ad longum tempus, atque interdictum etiam personale, nisi partiale sed integrum et totale, nec valide propter culpam levem, nec prudenter propter lethalem quae gravioribus non accenseatur, irrogari. »

Praeter culpam gravissimam et manifestam necessaria quoque est multa et accurata circumspectio, ne quis temere sua potestate utatur. Quapropter plures viri sanctitate et doctrina illustres non dubitarunt, Constitutiones etiam Apostolicas reprehendere, in quibus secundum morem illorum temporum quidquid fieri juberent vel vetarent, poenam praesertim anathematis irrogabant adversus eos qui non obtemperassent. Et revera S. Petrus Damiani, Epist. 12 ad Alexandrum II, ita

scripsit : « Delinquit itaque quisquis illi est in illud Apostolicae Constitutionis Edictum, et aliquando levi quadam et per exigua offensione transgreditur, et continuo velut haereticus et tanquam cunctis criminibus teneatur, obnoxius, anathematis sententia condemnatur. Et quum dictante justitia alia sit ultione plectendus qui plus delinquit, alia qui minus excedit; hic graviter leviterque peccantibus aequa cunctis et indifferens poena solius scilicet anathematis irrogatur... Quamobrem si sanctae prudentiae vestrae placet, hunc morem de caetero a Decretalibus paginis amoveri praecipiat, et vel damni pecuniae, vel alterius cuiuslibet ultiōnis calculum in earum transgressione praefigat: ne quod aliis est ad tuitionis munimenta provisum, aliis ad perniciem proveniat animarum, » apud Benedictum XIV, de Syn. Dioeces. cit. lib. 10 cap. 1 num 4. Itaque ante oculos semper habenda est sapientissima haec admonitio Tridentinae Synodi sess. 25 cap. 3. : « Quamvis excommunicationis gladius nervus sit ecclesiasticae disciplinae, et ad continendos in officio populos valde salutaris, sobrie tamen magna circumspectione exercendus est, quum experientia doceat, si temere aut levibus ex causis incutiatur, magis contemni quam formidari, et perniciem potius parere quam salutem. »

§ 243.

DE EXCOMMUNICATIONE.

Cathari et Albanenses, Wiclessus et Hussius, Lutherus et Jansenistae, multique eorum assentatores atque asseclae totis viribus elaborarunt ut excommunicandi potestatem quam Christus Ecclesiae sua tradidit, penitus ab ea eriperent, aut eam veluti nomen inane exhiberent, quod continendis in officio hominibus nihil admodum prodesse posset. Haec itaque potestas Ecclesiae ejusque Antistitibus divinitus data tan-

quam spiritualis gladius, et nervus Ecclesiasticae disciplinae, a Cultoribus Juris Publ. Ecclesiastici maxime tuenda est, id quod in ejusdem Juris Institutionibus lib. 2 § 32 praestitimus. Restat itaque ut de excommunicatione aliisque Censuris Ecclesiasticis ea tradamus, quae in canonica disciplina, atque foro ecclesiastico usum habere possunt.

Jam vero excommunicatio alia major, alia minor appellatur. Minor excommunicatio ea dicitur, qua irretitus a suscipiendo Sacramentis obtinendisque Beneficiis arcetur. Contrahitur haec excommunicatio, ubi quis cum excommunicato majori excommunicatione extra crimen communicat. Nam qui communicat in crimen criminoso, ut aiunt, majori excommunicatione irretitur. At si Sacerdos minori excommunicatione obstrictus celebret, quamvis Eucharistiae Sacramentum suscipiat, non tamen irregularitatem incurrit, quod sancivit Gregorius IX cap. Si CELEBRET de Clerico excomm. ministr. : « Si celebret minori excommunicatione ligatus, licet graviter peccet, nullius tamen irregularitatis notam incurrit. »

Excommunicatio major gravissima omnium Censura est, per quam Christiani enormium criminum rei et manifesti a tota communione Ecclesiastica tanquam Ethnici et publicani cijiciuntur, donec emendentur et Ecclesiae satisfaciant. Itaque excommunicati cadunt omni jure, quod per baptismum adepti erant. Speciatim vero remoti sunt: 1. A bonis sacris, id est susceptione et administratione Sacramentorum, participatione Sacrificiorum, et communibus Ecclesiae suffragiis, indulgentiis, atque precibus. Interim vero cuilibet licet pro excommunicato preces privatas fundere ut convertatur et vivat: hoc enim est merum charitatis officium, quod nullam in Sacris communionem inducit. 2. Remoti sunt a bonis spiritualibus externis, hoc est a beneficiis et dignitatibus ecclesiasticis, ab omni ecclesiastica jurisdictione et potestate, atque ab ecclesiastica sepultura. 3. Denique removentur a bonis humanae societatis, nempe ab omni commercio et communicatione non

solum in sacris, sed etiam in civilibus. At Martinus V Pontifex Maximus in Extravag. Ad EVITANDA in Concilio Constantiensi edita, quam S. Antonius retulit in Summa Theologica part. 3 tit. 25 cap. 3, rigorem antiquae disciplinae valde mitigavit. Ex ejusdem Extravaganti, quam universa Ecclesia recepit, facta est distinctio inter excommunicatos *vitandos* et *toleratos*. Excommunicati vitandi ii sunt, in quos excommunicationis sententia a Judice *prolata* et *publicata* *specialiter* et *expresse* fuit: itemque ii qui palam in Clericum sacrilegas manus injecerunt etsi a Judice non denuntiati, tamen vitandi omnino sunt. Tolerati vero dicuntur qui licet excommunicati, ex sententia tamen Judicis non sunt publice et expresse denuntiati tanquam *vitandi*. De his inquiritur, num Catholicis fas sit cum eisdem conversandi atque etiam in divinis communicandi? De hac quæstione jam disputavimus superiori § 234.

Quicumque a proprio Episcopo excommunicatus est, ab ipso tantum, non ab alio quovis Episcopo absolvı, neque in communionem recipi potest. Nam recta regiminis ratio postulat ratas et fixas manere poenas, quibus una Ecclesia in santes animadverterit, idque etiam Sacris Canonibus sanctum est. Quapropter Pontificale Romanum part. 3 de ordine excommunicandi et absolvendi praescribit: «Epistola Presbyteris per Parochias et etiam vicinis Episcopismittatur continens nomen excommunicati et excommunicationis causam, ne quis per ignorantiam alterius illi communicet. » Excipe tamen Romanum Pontificem qui ob amplam potestatem quam in universam Ecclesiam habet, excommunicatos quoscumque, ubi sibi visum fuerit, absolvere poterit et Ecclesiasticae communioni restituere.

§ 244.

DE SUSPENSIONE.

Alterum Censurarum genus suspensio est, per quam Cleri-

cus ab officio vel beneficio, vel ab utroque suspenditur. Suspensio itaque differt ab Excommunicatione et Interdicto; his etenim et Laicus et Clericus ligari potest: Suspensio vero in Clericum duntaxat fertur. Quare Moniales, atque etiam Regulares qui nullo Ordine initiati sunt, etsi privilegii Clericorum fruantur, suspensione tamen, quatenus Censura est, non afficiuntur.

Triplex igitur est suspensio: prima a solo officio, quum per eam Clericus exercere vetatur universa officia quae ab Ordine vel jurisdictione pendent. Secunda a solo beneficio est, per quam Clericus salvo Ordinis et jurisdictionis usu, jure percipiendi fructus sui beneficii, ejusque administratione privatur. Tertia denique ab officio simul et Beneficio, qua persona ecclesiastica tum usu potestatis Ordinis et jurisdictionis, tum etiam jure percipiendi fructus sui beneficii ejusque administratione interdicitur. Quidam putant suspensionem ab officio includere suspensionem etiam a beneficio, quia beneficium datur propter officium. Qua in re videtur contraria sententia tenenda esse, propterea quod in jure suspensio ab officio et beneficio duae distinctae suspensiones sunt, nec altera alteram includit. Praeterea hac de re perspicuus est textus in cap. 10 de Purgatione Canonica.

Si suspensio absolute lata fuerit, nec qualis ea sit ex contextu legis aut sententia intelligi possit, communiori Doctorum sententia generalis suspensio, ab officio nempe et a beneficio, habenda est, quia nulla inest ratio cur suspensio ad unam potius quam ad alteram partem limitetur, sicut etiam excommunicatione simpliciter lata de majori excommunicatione intelligitur. Aliquando autem suspensio pro parte irrogatur, et quidem pro ea parte tantum servanda est, non item pro reliquis.

Ita suspensus a Jurisdictione non ab usu Ordinis, poterit ca omnia agere quae ad Ordinem spectant, nisi in aliquo actu jurisdictionis necessaria foret, uti in excipiendis Sacra-